

ri insuper *catamitos & Venereos actus*, quorum singuli *quinquaginta annos, sine interstitio, continuentur.* (l) O ineptias! ô *vesaniam!* ô *impietatem!* Ipsos *Muhamedanos emunctioris nasi*, quos inter *Achmedes Persa* eminent, harum *næniarum* pudet: quapropter ea, quæ adduximus, allegoriarum prætextu excusant. Plerique tamen, teste *Fratre Richardo ex Ordine Prædicatorum*, qui *Confutationem Alcorani* edidit, juxta *literam omnia intelligunt;* (m) id quod *Al Gazal*, non *infimæ apud Arabes autoritatis scriptor*, tam *necessarium* judicat, ut ad *allegorias descendentibus*, dicam *hæreseos scripserit.* (n) Quod si porro *quæramus*, quibus *virtutibus ad Elysios hosce campos Turcæ grassentur*, utique *officia varia homini erga DEum, erga alios, erga seipsum, denique etiam erga bruta animantia commendant.* Ut quod *Virgilius* monet, à *Jove principium Musæ nostræ* procedat, *Turcis in Alcorano preces coram DEO* tam *severè injunguntur*, (o) ut ne *quidem in expeditione militari, sive pediti, sive equiti, eas intermittere liceat.* (p) Et *Muhamedes* quidem *duntaxat* exigit, ut se bis *DEO* sistant, sub exordi-

D um

(l) de *Concordiâ orbis* L. 2. c. 11. (m) cap. 8. (n) *Conf. Dn. D. Augustus Pfeifferus*, in *Disp. Witebergæ Anno 1661. habitâ, de Alcorano*, Th. 24. (o) *Alcor. L. 3. c. 6.* (p) *Ibid. L. 2. c. 2. 9. 26. Gabriel Sionita, de Urbibus & Moribus Orientalium c. 15.:* *Ait Ben-Sidi Aali, si quis in mare fuerit dejectus, sciatque orationis tempora instare, si potest, orationis legem complere debet. Ac mulier, inquit, dum parturit, non est ab hac lege immunis, sed infantis caput aliquo in loco reclinare debet & statutum orationis tempus adimplere: quod in hac sectâ arduum omnino est. Viatores autem omnes, statim atque orationis tempus advertunt, à viâ parùm semoti se lavant, si aqua adsit; alioqui terrâ leviter effossâ, se lavare simulant, donec orationem compleant suam.*